

Quæritur 1º an ipse pœnitens obligatione sigilli tenetur.

R. Negative. Nam sigillum in ipsius favorem fuit institutum : in tantum igitur ad secretum naturale tenetur, in quantum seipsum infamare, vel cum detrimento confessarii aut sacramenti loqui non debet.

Quæritur 2º an confessarius quandoque loqui possit cum pœnitente de ipsius confessione.

R. Potest in tribunali Pœnitentiae, sed discrete, ne illum offendat : at extra sacrum tribunal, ne ullum quidem verbum dicere potest absque pœnitentis licentia. Ex licentia autem ipsius spontanea et plene libera, loqui potest de confessione ejus, non solum cum ipso, sed et cum alio, dummodo fines licentiae non excedat. Notandum quippe est hanc licentiam a sola voluntate pœnitentis pendere, et ideo limitari vel ad nutum revocari posse.

Quæritur 3º an confessarius aliquando uti possit notitia ex confessione accepta.

R. 1º. Si rem aliunde quam per confessionem noscat, ea sub hoc respectu uti potest, dicendo se eam vidiisse, vel tali aut tali via cognovisse. Si vero per solam confessionem eam cognoscat, nunquam ea notitia uti potest, si subsit periculum revelationis directæ vel indirectæ, aut gravaminis realis aut æstimati pœnitenti vel alteri advenientis : hoc ex natura sigilli sequitur.

Hinc superior cognitione per confessionem obtenta uti non potest ad exercendos actus pœnitenti vel alteri ingratos, v. g., ut vultum austriorem ei ostendat, durius eum alloquatur, colloquium ejus fugiat aut ægre ferat, licentiam exeundi ei recusat, vel suffragium neget, eum ad ordines, ad officium vel ad pastoratum non promoveat, ut res suas diligenter servet, seras mutet, claves apud se custodiat, fenestram claudat, etc. Unde Clemens VIII, decreto diei 26 maii, anni 1594, mandavit ut, « tam su- » periores pro tempore existentes quam confessarii qui » postea ad superioris gradum fuerint promoti, caveant » diligentissime ne ea notitia quam de aliorum peccatis » in confessione habuerint, ad externam gubernationem » utantur. »

R. 2º. Si nullum sit periculum revelationis aut gravaminis, sive pœnitenti, sive alteri, scientia ex confessione hausta uti licitum est; quia tunc nihil est quod reverentiae sacramento debitæ aduersetur, vel pœnitenti obesse possit. Unde confessarii notitia per confessionem accepta uti possunt ad orandum pro pœnitentibus, ad studendum, ad consulendum, ad sibi invigilandum ne in similes casus labantur, ad benignius eos suscipiendos, ad speciales gratias eis concedendas; in hac enim agendi ratione nihil sacramentum reddit odiosum, nec gravamen imponit pœnitenti aut alteri.

CAPUT OCTAVUM.

DE EFFECTIBUS SACRAMENTI POENITENTIE.

Præcipiuus hujus sacramenti effectus est remissio peccatorum mortalium et venialium, sive quoad culpam, sive quoad reatum poenæ æternæ, non semper remissa poena temporali : talem ex natura sua habere effectum probavimus.

Certum est insuper illud producere gratiam sacramentalem sibi propriam, quæ duo importat, scilicet 1º gratiam sanctificantem ex se peccata remittentem, et 2º jus gratias speciales ad perseverandum necessarias suscipiendi. Hæc propositio, ab omnibus theologis admissa, constat tum ex Tractatu de Sacramentis in genere, tum ex dictis in præsenti Tractatu : peccata enim remitti non possunt nisi per effusionem gratiæ sanctificantis in animam.

Duo nunc supersunt paucis verbis expendenda, vide-licet 1º an peccata remissa per lapsum in novum peccatum redeant, et 2º an merita ante peccatum acquisita, per sacramentum Pœnitentiae reviviscant.

ARTICULUS PRIMUS.

AN ITA DELEANTUR PECCATA UT PER NOVUM PECCATUM
NON REDEANT.

PROPOSITIO.

*Peccata semel remissa per lapsum in novum peccatum non
redeant simpliciter.*

Prob. *Scriptura sacra*. Ezech. xviii, 21 : *Si impius
eget pœnitentiam ab omnibus peccatis suis... omnium ini-
quitatum ejus, quas operatus est non recordabor*. Rom. ix,
29 : *Sine pœnitentia sunt dona Dei : at si peccata revivis-
cerent, Deus recordaretur iniquitatum, et ipsius dona non
essent sine pœnitentia* : ergo. *Ita omnes theologi.*

Si autem mulier vidua de Sarepta dicat Eliæ, III Reg.
xvii, 18 : *Quid mihi et tibi, vir Dei : ingressus es ad me ut
rememorarentur iniquitates meæ...?* si Tobias dicat Deo,
Tob. iii, 3 : *Domine, ne reminiscaris delicta mea, vel pa-
rentum meorum*; si Psalmista oret, dicens, Ps. lxxviii, 8 :
Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum : hæc
aliaque similia intelligenda sunt de pœnis temporalibus
quæ pro peccato jam remisso infligi possunt; minime
vero ostendunt peccata, sive quoad maculam, sive quoad
reatum pœnæ æternæ redire.

Diximus *non redeant simpliciter*, quia redeant secun-
dum quid, eo sensu quod peccatum, post obtentam justi-
ficationem admissum, sit majus et magis a Deo puniendum.

ARTICULUS SECUNDUS.

AN MERITA ANTE PECCATUM ACQUISITA, PER PŒNITENTIAM
REVIVISCANT.

*Notandum est quadruplicis generis distingui opera, scilicet
viva, mortua, mortifera et mortificata.*

Opera viva ea sunt quæ fiunt in statu gratiæ cum debiti-
tis conditionibus ut gloriam æternam mereantur: mortua,
sunt illa quæ, licet bona et supernaturalia, præmium co-

*don, Barrow, Blansford, etc.; ex Germanis Molanus apud
Bossuet, Leibnitz, expresse in syst. Theol., p. 348, Less,
Young. Vid. P. Perrone, de Purgatorio.*

PROPOSITIO.

Existit purgatorium.

Prop. Illa propositio tenenda est quæ est de fide, pro-
batur Scriptura sacra, SS. Patribus, traditione et ratione;
atqui propositio nostra est de fide, etc.

1º *Est de fide.* Sic enim definita fuit in Conc. Trid.,
sess. 6, can. 30 : « *Si quis, post acceptam justificationis
gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti,
et reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus rema-
neat reatus pœnæ temporalis exsolvendæ, vel in hoc sæ-
culo, vel in futuro, in purgatorio, antequam ad regna
cœlorum aditus patere possit; anathema sit.* » Ergo.

2º *Prob. Scriptura sacra*. II Mach. xii, 43, Judas Ma-
chabæus, cum quidam Judæi in prælio adversus Gorgiam
cedidissent, *facta collatione, duodecim millia drachmas
argenti misit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum
sacrificium, bene et religiose de resurrectione cogitans*. Dein-
de v. 46 : *Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunc-
tis ecorare ut a peccatis solvantur.*

Unde sic : Sacrificium et preces inservire possunt mor-
tuis ut a peccatis solvantur; sed inservire non possunt
beatis qui non habent peccata solvenda, nec damnatis qui,
fatentibus adversariis, a peccatis liberari nequeunt : ergo
existit purgatorium.

Neque dicant hæretici libros Machabæorum non esse
canonicos; cum enim in primis Ecclesiæ sœculis a Græcis
et a Latinis inter libros canonicos annumerati fuerint, ut
constat testimonii Tertull., S. Cypriani, Luciferi Calarit.,
S. Aug., conc. Carth. III, can. 47, concil. Romani sub
Gelasio celebrati, Innocentii in Epist. ad Exuperium, etc.,
eorum *canonicitas* in dubium merito revocari non potest.
Aliunde, etsi concederetur illos non esse canonicos, saltem
negari non potest esse antiquissimos, et cuncta exemplaria,

sive Latina, sive Graeca, sive Syriaca, eodem modo textum supra citatum exprimere : ergo fidem Judæorum sicut et Christianorum circa purgatoriis existentiam testantur. Ergo.

Matth. XII, 32 : Quicumque verbum dixerit contra Filium hominis, remittetur ei : qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc saeculo, neque in futuro. Christus loqui debuit modo intelligibili : porro verba ista, neque in hoc saeculo, neque in futuro, non haberent sensum intelligibilem, si Apostoli credidissent nulla remitti peccata in futuro saeculo. Quid sentiremus de homine dicente : Non nubam, neque in hoc saeculo, neque in futuro? Insulse loqueretur, quia supponeret possibles esse nuptias in altera vita : ergo similiter insane locutus fuisset Christus. Ergo.

Alia eritur probatio ex I Cor. III, 15, ubi Apostolus dicit alios in die judicii mercedem statim recepturos, et alios detrimentum passuros ; salvandos tamen, sed *quasi per ignem*. Ergo 2º.

3º *Prob. SS. Patribus. Tertull.*, lib. de Monogamia, cap. 10, loquens de vidua, dicit : « Pro anima ejus (conjugis defuncti) orat et refrigerium interim adpostulat. »

S. Epiphanius, Hæresi 75, n. 7 et 8 : « Quæ pro mortuis concipiuntur preces, eis utiles sunt; necessario factæ illud Ecclesiam dico, quæ traditum sibi ritum illum a majoribus acceperit. »

S. Aug., Serm. 172 : « Orationibus sanctæ Ecclesiæ, et sacrificio salutari, et eleemosynis quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adjuvari, ut eum eis misericordius agatur a Domino, quam eorum peccata meruerunt : hoc enim a Patribus traditum universaliter observat Ecclesia. »

Plures alii Patres citari possent. *S. Epiphanius et S. Augustini* testimonia probant morem pro defunctis exorandi ipsorum tempore fuisse antiquum, id est, a Judæis transmissum Christianis, et in Ecclesia universalem : insuper *S. Aug.*, integrum fecit librum, de cura pro mortuis gerenda, et ipse pro matre defuncta oravit eamque orationi-

bus et sacrificiis lectorum suorum commendat, l. 9 Conf., cap. 13. Ergo 3º.

4º *Traditione.* Præter ea enim quæ retulimus et quæ traditionis existentiam, tum apud Christianos, tum apud Judeos ostendunt, sequentia addi possunt : Graeci Latinis in hoc dogmate consenserunt in concil. Florentino ; in eorum liturgia, sicut in nostra, oratur pro defunctis ; imo in omnibus liturgiis ecclesiarum Orientalium, etiam antiquissimis et quæ ad ipsos Apostolos ascendunt, idem statuntur. Nec non dissentunt Judæi recentiores, ut ex libro Rabbiniorum ostendunt *Serarius* et *Genebrardus*. Pro mortuis orant Islamitæ.

Plus minusve expresse eadem doctrina de purgatorio habetur apud veteres tum Graecos, tum Romanos, ut vide est apud Clem. Alex. de Stoicis, et apud alios. De Persis idem refert *Eusebius*, præp. Evang., Zoroastrum citans. Suffragia pro mortuis admittunt Indi, ut patet ex variis relationibus itinerum.

5º *Ratione.* Constat, remissa culpa, non semper remitti poenam temporalem : si quis ergo cum poena temporali non soluta, aut cum aliquo peccato veniali decedat, non statim introibit in regnum celorum, nec damnatur : ergo debet esse locus in quo poenæ debitas patiens mundabitur : ergo, etc. Aliunde, etc. Ergo.

Inter rationes ab hæreticis contra dogma catholicum allegatas, objicitur 1º vocem *purgatorium* in Scriptura sacra non inveniri ; 2º in Scriptura duos tantum exprimi status hominum e vita decadentium ; 3º Graecos a Latinis in pluribus dissentire.

Verum 1º quid refert quod vox *purgatorium* in Scriptura non inveniatur, si res ipsa reperiatur? Certe vox *consubstantialis* non invenitur in Scriptura, nec vox *Trinitas*, et tamen eas admittunt Protestantes. 2º Scriptura duos tantum exprimit status hominum in altera vita post ultimum judicium, ut in Matth. XXV, 34 et 41, scilicet, statum beatorum et statum damnatorum ; sed alibi, *ut ostendimus*, supponit existere locum inter utrumque medium, in quo mortui adjuvari possunt. 3º Graeci a Latinis dis-

sentiunt circa naturam poenarum quibus animæ justæ plectuntur in purgatorio, non vero circa illarum existentiam. Ergo.

Duo puncta tantum ab Ecclesia fuerunt definita tanquam de fide catholica, scilicet, dari purgatorium et animas ibi detentas fidelium suffragiis, et potissimum salutari altaris sacrificio adjuvari: cætera liberæ theologorum discussioni relinquuntur.

Quæritur 1º quæ sit natura poenarum in purgatorio luendarum.

R. Juxta omnes, duplex est poena in purgatorio, una damni quæ est retardatio visionis beatificæ, et altera sensus. Hæc autem, secundum Græcos, per labores et dolores acerbos causatur: verum constans Latinorum sententia est, in purgatorio esse ignem materialem similem igni infernali, et ideo Ecclesia pro animabus fidelium orantem, non petere tantum locum lucis et pacis, sed et refrigerii, videlicet contra ignis ardorem. Unde S. Thomas docet poenam purgatorii quamlibet poenam hujus vitæ excedere, quamvis poenis inferni æquiparari non debeat, propter amicitiam Dei, spem obtinendi gloriam æternam et resignationem patientium.

Non æquales sunt poenæ, sive in intensitate, sive in duratione, pro omnibus, quia non omnes eadem habent debita divinæ justitiae solvenda. Hinc S. Bonaventura et Bellarminus dixerunt maximam purgatorii poenam maxima hujus vitæ poena esse graviorem, non vero minimam purgatorii poenam maxima hujus vitæ majorem esse.

Incertum est an dæmones justos in purgatorio torqueant; graves theologi cum S. Thoma negant: affirmat vero S. Bernardus cuius sententia favent liturgiæ, in quibus petitur a Deo ut animas illas liberet de ore leonis.

Quæritur 2º ubinam sit purgatorium.

R. Communiter docetur illud esse in visceribus terræ, prope infernum. Attamen S. Thomas dicit animas extra hunc locum, Deo ita permittente, aliquando purgari et in terra divagari, vel ad vivorum instructionem, vel ad mortuorum subventionem.

Ut certum habetur infernum esse subterraneum. Alius est locus etiam subterraneus, ab inferno et a purgatorio valde probabilius distinctus, quem habitant qui cum solo peccato originali mortui sunt.

Quæritur 3º quanto tempore animæ justorum in purgatorio detineantur.

R. Hoc prorsus ignoratur, Alexander VII sequentem damnavit propositionem: « Annuum legatum pro anima » relictum non durat plus quam per decem annos.»

S. Aug. matrem suam triginta annos post mortem ejus sacrificiis et orationibus lectorum suorum commendabat; Ecclesia celebrat anniversaria ante plura sæcula pro quibusdam fidelibus in particulari condita: ergo fieri potest ut animæ diutissime maneant in purgatorio, et plures hæc verba I Petr. III, 19 et 20: *In quo et his qui in carcere erant spiritibus veniens, prædicavit; qui increduli fuerant aliquando, quando exspectabant Dei poenitentiam in diebus Noe cum fabricaretur arca;* interpretantur de animabus in purgatorio detentis a tempore diluvii usque ad descendens Christi in inferos, id est, per duo millia annorum et amplius.

Quomodo autem mundabuntur qui in fine sæculorum cum debitibus temporalibus decadent, prorsus ignoramus: Deus, cuius scientia est infinita, non carebit medio poenas proportionatas eis infligendi.

Quæritur 4º an animæ in purgatorio detentæ, certæ sint de salute sua.

R. *Affirmative*, idque ob revelationem ipsis factam in judicio particulari, et quia, ex speciali Dei protectione, confirmatae sunt in gratia: mereri quidem non possunt, sed etiam peccare nequeunt. Unde si Ecclesia, orans pro illis, postulet ut liberentur de poenis inferni, ne absorbeat eas Tartarus, ne cadant in obscurum, etc., hoc est quia eas sibi et Deo repræsentat tanquam ex corpore exeuntes.

Quæritur 5º an animæ in purgatorio orare possint.

R. Quamvis illæ animæ mereri aut satisfacere nequeant, quia sunt in termino, actus virtutis, v. g., fidei, sp̄ei, charitatis, et patientiae exercere possunt; similiter et orando,

aliquid a Deo impetrare valent, sive pro seipsis, v. g., aliquam remissionem poenae, ut fere omnes fatentur: sive, juxta multos, pro vivis, maxime pro illis qui orant pro ipsis, quia nobiscum sunt in communione sanctorum. Hinc nihil obstat, in ea sententia, quominus istae animae in privatis orationibus invocentur, sicut preces justorum viventium utiliter petuntur.

Quæritur 6º an animæ in purgatorio detentæ, suffragiis vivorum adjuvari possint.

R. De fide est eas adjuvari posse: hoc constat ex conc. Florent., decreto de Purgatorio, et ex Conc. Trid., sess. 22, can. 3, et sess. 25, decreto de Purgatorio, ubi definit «purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio juveni vari. »

Aliunde dogma istud cum articulo symboli, de communione sanctorum, conjunctum est et perpetua ac universalis Ecclesiæ praxi probatur, ut testimonii in propositione de existentia purgatorii allatis, et ex multis aliis quæ offerri possent, innoscit. Ergo.

Bona opera quibus animæ in Purgatorio adjuvari possunt, prout exponuntur in conc. Florent., sunt: « Missarum sacrificia, orationes, elemosynæ et alia pietatis officia. » His adjungenda est indulgentia, quando ita conceditur ut defunctis applicari possit.

Sacrificium missæ et officium nomine Ecclesiæ celebratum, defunctis prosunt, licet a sacerdote in peccato mortali existente offerantur, quia hæc opera ex ipsius dispositione efficaciam suam non habent. Contra vero, orationes, jejunia aliaque opera personalia in statu peccati peracta, defunctis inservire nequeunt, quia non sunt viva, nec Deo grata.

Determinare non possumus qua mensura suffragia vivorum, etiam præstantissima, ut sacrificium missæ, poenam in Purgatorio solvendam minuant, nec quo modo illorum valor defunctis applicetur; hoc a multis circumstantiis pendere potest, v. g., a natura peccatorum pro quibus poena solvenda est, a voluntate poenitentiam agendi quam

habuerunt defuncti, a sollicitudine qua movebantur viventes erga alios defunctos, a dispositionibus offerentium et orantium, etc.

CAPUT DECIMUM.

DE INDULGENTIIS.

Indulgentia recte definiri potest: *Remissio poenæ temporalis, peccatis actualibus jam remissis quoad culpam debitæ, extra sacramentum Poenitentiae facta ab eis qui habent potestatem thesaurum Ecclesiæ spiritualem dispensandi.*

Dividitur 1º in plenariam et partialem. Indulgentia plenaria ea est quæ omnem poenam peccatis debitam remittit: unde qui eam perfecte lucratus, statim decederet, in regnum cœlorum introiret. Indulgentia partialis ita vocatur, quia partem tantum, majorem vel minorem, poenæ temporalis remittit.

Dividitur 2º in temporalem et in perpetuam. Indulgentia temporalis ea est quæ per aliquod tempus lucranda proponitur, et adveniente termino præfixo expiratur: est vero perpetua, quando indefinite concessa est; non cessat nisi per revocationem sufficienter manifestata.

Dividitur 3º in localem, realem et personalem. Indulgentia localis illa est quæ affixa est loco, v. g., alicui ecclesiæ, capellæ, B. Mariæ; realis ea est quæ nonnullis objectis portabilibus, v. g., coronis, annexa est; indulgentia personalis illa est quæ uni vel pluribus personis annexatur: tales sunt indulgentiæ confraternitatibus concessæ quas confratres ubique lucrari possunt.

Breviter nobis dicendum est 1º de potestate Ecclesiæ concedendi indulgentias; 2º de iis qui hanc habent potestem; 3º de causis ad quas licet indulgentias concedere; 4º de natura indulgentiarum; 5º de thesauro indulgentiarum; 6º de illarum efficacia, et 7º de conditionibus ad eas lucrandas requisitis.